

ceps, secundo omissso. Hunc propterea crediderim fortasse hucusque suppressum, quod mancus et mutilatus extet commentarius hic, cum et prima illius pars et cætera post tertiam desiderentur, neque ullibi reperiri potuerint, et præterea multis abundet etiam quod superest, præcipue vero tertia pars, lacunis; ut typographi his de causis libri huius cum cæteris editionem distulerint, quoad perfectiora eiusdem exemplaria haberentur. Cui sane rei cum optarem ego, ubi de editione libelli decrevi, remedium afferre, perquisivi diligentissime celebriores bibliothecas, in quibus cum nihil a me subsidii repertum sit, existimavi non iam amplius silentio et tenebris tanti doctoris opusculum involvendum, sed utcunque illud publicæ studiosorum utilitati in publicum proferendum putavi. Galeni enim vel minima fragmenta negligere minime conveniens existimo. Neque vero ullus esse potest dubio locus quin hæc sit pars eorum commentariorum Galeni, quæ inter Epidemias desiderantur. Satis enim et stilus formaque scribendi auctorem nullum alium præter ipsum Galenum agnoscant, ut si neque præfixum libro nomen invenissemus, sola lectio demonstrasset germanum operis auctorem; præterquam quod ipse se multoties in hoc opere prodit, dum multa confirmat iis quæ dixisse se affirmat in cæteris a se compositis operibus, quæ omnia significat et nominibus quibus alibi usus est et sententiis iisdem. Præfixum etiam Hippocratis textum transluli, quod nescirem eum antea latinitate donatum; et si postea ubi animadverti impressum in multis omnino reliquerim veterem translationem. Accipite igitur, viri studiosi, Galeni commentarium, qui vobis in morborum multorum curatione inseriat, et conatus nostros in hac re æqui bonique consulite.

Valete.

Bibliothèque nationale de Paris : Td³⁴ 10.

Bibliothèque de Théodore Avramiotis.

Bibliothèque d'Émile Legrand.

